

ordine: « Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. »

(23. Nec etiam licet Famulari hæreticis, si Famuli, et Famulæ impediuntur ab observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. quia debent negligere Missam, laborare serviliter diebus festis, carnes comedere diebus vetitis, et hujusmodi, nisi excuset notabile incommodum, uti recte Navarr., Sanch., Layman, Bonac. et alii communiter cum Castrop. tom. 22. quæst. ult. n. 6. La Croix ibi. 2. n. 103. (24. Possunt tamen Famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur deserre ipsos Dominos hæreticos, quando impediuntur ab observantia præceptorum Ecclesiæ, v. g. ab audiendo Sacro, et hujusmodi, ex justa causa, quia nempe occupantur in ministerio juxta communem æstimationem, et vivendi modum necessario, uti si debeant educere et custodire gregem, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per aliquot menses, et hujusmodi. Et ratio est, quia illa etiam apud Dominos Catholicos excusant ab auditione Sacri, et hujusmodi, uti fuit dictum supra num. 18. Sic Layman, Sa, Gobat, cum La Croix loc. cit. num. 105. (25. Famuli tamen, et Famulæ, priusquam se obligent famulari hæreticis, debent expresse pacisci quod non impediuntur observare præcepta Ecclesiæ, aliter se exponerent proximis periculis illa non observandi, et sic peccarent. Communis.

(26. Famuli, et Famulæ, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis Dominis debitam. Sic cum variis aliis Carden. in 2. Cris. dis. 23. a num. 66. La Croix lib. 3. part. 1. num. 972. (27. Nec Famuli, et Famulæ Sartorum, licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, et hujusmodi. Et idem dicendum videtur de ipsis Sartoribus, seu Magistris, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias. Sic Villalob. Diana, et alii Lugo dis. 16. n. 83. et 85. cum La Croix loc. cit.

## SUMMARIUM.

1. ad 4. Femina non est capax Ordinum. — 5. ad 7. Est tamen capax jurisdictionis, et quid possit hoc titulo. — 8. ad 12. Jurisdictionis actus, qui a Femina nequeunt exerceri. — 13. ad 19. Femina, quoad vestium et ornamentorum honestatem. — 20. ad 50.

(1. Femina non est capax Ordinum; cap. *Novæ 10. de pœnit. et remis.* et est communis inter Catholicos cum D. Cyrillo super cap. 6. *Joann. D. Ambrosio* (sive Auctore Commentarii in Epistolas S. Pauli olim S. Ambrosio tributi) cap. 15. in *Epist. ad Roman. D. Chrysostom. in Epist. secund. ad Tim. II. D. Thomain 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* et alii communiter. (2. Quidquid dixerint, et

(1) Sive ut apud S. Epiphanium loc. cit. ab Auctore, Quintilian, qui et Peputiani appellantur, Artyritæque ac Priscilliani. (EDIT. BARBIELL.)

num. 973. contra Sanchez, et alios. (28. Non censentur autem inviti, nec solent ordinarie talia fragmenta rependere illis, quibus vestes fractæ non reficiuntur. Quando autem Famuli, et famulæ possint, vel non uti occulta compensatione, vide verb. *Compensatio* per tot. ubi assignantur conditiones ad licitam compensationem requisitæ, et traditur etiam sequens propositio ordine 37. inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martii 1679. « Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. » (29. Quando, et de quibus Famuli et Famulæ possint facere eleemosynam, vide verb. *Eleemosyna*.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Frequentes in foro sunt controversiæ Parochos inter et Regulares, circa administrationem Sacramentorum Famulis ipsorum Regularium, tum sepulturam eorumdem. Cæterum si agatur de Famulis non particularis alicujus Religiosi, sed Communitatis et præterea actu servientibus, intra eorum septa, et domos residentibus, tum viventibus sub eorum obedientia; scilicet non religiosa, sed servili, possunt iis Regulares administrare Sacramenta Eucharistiæ etiam tempore Paschatis, ac Extremæ Unctionis, nec non sepulturam dare, ut rescripsit S. Congregatio Concilii interpr. in Uratislaven. Jurium Parochialium 25 Januarii 1738.

(31. Patet hinc Regulares a Superioribus Ordinis tantum approbatos ad excipiendas confessiones non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare Famulis Communitatis tametsi habentibus mox dictas tres conditiones. Posse vero censet P. Gaudent. a Janua de *Visitat.* tom. 2. cap. 7. dub. 17. sect. 4. num. 39. si induant præterea *distinctum habitum a Sæcularibus*, ut sunt oblato, donati, Tertiarii. Immo addit, quod possint etiam eos absolvere a casibus, quos Episcopus sibi reservavit. Intelligi vero semper de iis qui Communitati servitium præstant.

## FEMINA.

Quoad aspectus et tactus mala intentione. — 51. ad 54. Quoad munerum receptionem. — 55. Feminæ sexus in rogo sensu dicatur *devotus*. — 56. Successivæ polygamie novum exemplum. — 57. Expenditur dictum Ecclesiastici de mulieris beneficentia. 58. ad 41. Celebris de Femina regula juris. — 42. Ratio hujus prohibitionis.

fecerint Hæretici, qui feminas ad sacros Ordines admittebant, inter quos numerantur primo Cataphrygæ, quorum meminit De Ambrosius in *prima ad Timoth. c. III.* Secundo Peputiani, et Papuritæ (1), de quibus D. Epiphanius hæres. 49, Tertio Gnostici, de quibus Tertullianus lib. de *præscript. Hæret.* cap. 44. Ultimo Wicleffus, et Lutherus, qui docuerunt, mulieres sacri Baptisma-

tis fonte ablutas statim Sacerdotissas consecrari, de quibus Thomas Valdensis libro de *Sacrament.* c. 59. et Roffensis art. 13. contra *Lutherum*. (3. Nec officit, quod in Jure fiat mentio Diaconissæ (1), Presbyterissæ et Episcopissæ, ut in cap. *Diaconissam* 27. q. 1. et cap. *Mulieres* 19. dist. 32. et sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notat Baronius ad annum Christi 34. n. 280. Campanil. in *div. Juris Canonic.* rubr. 11. c. 2. Vasquez t. 3. in 3. part. disp. 245. c. 3. et alii passim, ipsæ femine tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia Viri earum erant assumpti ad Diaconatum, Presbyteratum, et Episcopatum, et ideo uxores Diaconorum Diaconissæ, Presbyterorum Presbyterissæ, et Episcoporum Episcopissæ dicebantur, denominatione desumpta ab earum maritis. (4. Nec etiam officit id, quod ab aliquibus asseritur, quod quædam femina, Joanna nomine, ad Summum Pontificatum fuerit assumpta. Non officit, inquam, quia id, quod dicitur de Joanna, est mera fabula, talemque esse probant Bellarm. lib. 3. de *Pontifice Romano* c. 24. Baronius t. 10. anno Christi 833. num. 86. Papius Masson. Gallus in lib. de *Urbis Episcopis*, Onuphrius Panvinius in suis annotat. ad Platinam. Floremundus de Remundo in lib. *Error popularis de Joanna, seu pontifice dicta Papissa*, Graveson, Ursaya, et alii passim. Vide verb. *Ordo* art. 2. n. 26.

(5. Potest tamen Femina habere potestatem Jurisdictionis, quamvis non possit habere potestatem Ordinis. *Comm.* Hinc Femina succedens in aliquo Officio, seu Dignitate, quæ habeat aliquam Jurisdictionem annexam, quamvis alias capax non sit exercitii Curæ animarum, tamen efficitur capax, et potest per seipsam administrare Jurisdictionem, et committere exercitium Curæ Viro capaci talis potestatis, et Beneficia conferre, ut ducitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et obedientia*, et Rota part. 10. decis. 44. num. 23. et tenet Abbas in cap. *Cum Dilectus* num. 20. de *Consuetud.* Felin. in cap. *Cum venerabilis* numer. 36. de *Except.* Fagnan. in cap. *Judæorum 3. de Etat. et qualitat.* num. 14. Joann. de Selva de *Benefic.* q. 3. num. 1. et 5. et alii passim. (6. Unde Femina habens Jurisdictionem, ut v. g. Abbatissa, Priorissa, et hujusmodi, est capax conferendi Parochialem, et Parochum nominandi, et instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbavit, ut declaravit Sac. Congr. Concilii in una Mediolanens. 17 Dec. 1701. (7. Femina virtute talis Jurisdictionis potest cum legitima causa privare Clericos sibi subjectos Beneficiis jam illis collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum, et possessionem, nam posita hac ablatione censetur Pontifex conferre jus spirituale, quia sicuti Beneficium confertur dependenter a designatione Femine et col-

(1) Etsi uxores Diaconorum vocatas fuisse Diaconissas constat, præter has tamen alie fuerunt, quæ proprie Diaconissæ appellabantur, quæque iisdem fere ac Diaconi ritibus initiabantur, quamquam

latione tituli, et possessionis, ita etiam censetur conservari Jurisdictio a Summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublati etiam reliqua alia tolluntur; Rota part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 10. et 20.

(8. Non potest autem Femina ipsos Clericos suspendere, prout suspensio est Censura Ecclesiastica, sicuti neque interdicere, aut excommunicare; nequit enim Femina Censuras ferre, quia caret spirituali Jurisdictione, ut colligitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et Obedient.* et Rota dicta part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 17. et 18. (9. Femina quamvis sit docta, et sancta, non debet docere, maxime publice, textu expresso in c. *Mulier* 19. de *Consecratione*, ibi: « Mulier quamvis docta, et sancta, viros in Conventu docere. . . non præsumat. » (10. Femine in Ecclesiis debent tacere, 1. ad *Corinth.* cap. xiv. n. 34. et sequent. . . . ibi: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit: Si quid autem voluit discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim Mulieri loqui in Ecclesia.* (11. Femina quamvis habeat jurisdictionem, ut Abbatissa, seu Priorissa in subditas, non potest publice benedicere, sed solum eo modo, quo parentes solent benedicere propriis filiis, cum munus benedictionis proveniat ex potestate clavium, quæ non competit Femine. Communis. (12. Femina non potest pro ministro servire Sacerdoti ad Altare; sic expresse prohibetur in *Missali* § 1. de *Defectibus*, et in c. *Inhibendum. 1. de Cohabitat. Clericor. et mulier.* ibi: « Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. » — « Et si mulier, subjungit La Croix lib. 6. part. 2. num. 388, et si mulier in Ecclesia tacere debeat, uti habetur 1. ad *Corinth.* xiv. multo magis abstinere a ministerio altaris. »

(13. Femina, si tantum ex levitate utatur veste virili sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, peccat tantum venialiter, alias mortaliter; *Leuteronomii* enim cap. xxii. num. 5. sic præcisè habetur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femine, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Nullo autem modo, si utatur ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1. q. 7. cap. *Omnes 1. de Fer.* cap. *Consulti 3. de celebratione Missar.* cum multis similibus; in qualibet enim dispositione intelligitur excepta; cap. *Licet, de Pœnit. et remis.* (14. Femina tenetur etiam abstinere ab ornatu muliebri ex se nimis turpi, et ad lasciviam provocante, et hoc sub mortali, si prævideat aliquem in particulari probabiliter lapsurum. Et ratio est, quia nullum habet jus ad illum nimis turpem et lascivum ornatum, immo est ei prohibitus, adeoque tenetur ab eo abstinere ad evitandum peccatum

Ecclesiasticæ hierarchiæ membra nec essent, nec haberentur. Vide Chardonium *Histor. Sacramentor. de Sacramento Ordinis*, lib. 4. cap. 12. Confer verbi. Diaconissæ. (EDIT. BARBIELL.)

alicujus in particulari ab ipsa prævisi probabiliter lapsuri; Busembaum lib. 2. cap. 2. et ibi La Croix, numer. 343. Sporer tom. 2. tract. 5. in quint. præcep. Decal. c. 1. sect. 2. num. 39. et alii (1).

(15. Femina vane se ornans, et pigmentis seu picturis se fucans ea intentione, ut aliorum oculos ad se trahat, et viros ad lasciviam provocet, peccat mortaliter; cap. *Nec solo affectu, et tactu* 12. et cap. *Qui viderit mulierem* 13. caus. 42. quæst. 5. Unde S. Joan. Chysostom. relatus, et secutus a Fagnan. lib. 3. *Decretal. et c. Multa 1. Ne Clerici, vel Monachi* num. 68. sic ait: « Mulier si se decoraverit et vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam; venenum enim obtulit, etsi nullus qui bibat, inventus sit; » et concordant S. Augustinus *Epist.* 235. alias 73. in cap. *Fucare* 38. de *Consecrat.* dist. 5. S. Cyprian *tract. de Habitu Virg. post med.* S. Clemens Alexandr. in *Pædagog.* lib. 3. cap. 2. S. Thomas 2. 2. qu. 169. art. 2. in corpor. S. Antoninus, et alii communiter. Quamobrem *Eccles.* 4. expresse dicitur: *Ne accipias faciem adversus faciem tuam*, scilicet faciem picturæ adversus faciem naturalem: et contrafaciens debet timere illud *Joel.* 2: *Omnis vultus rediget in ollam*, id est vultus depictus in ollam infernalem, ut explicat Fagnan. loc. cit. numer. 62. et S. Cyprianus *de Disciplina et habitu Virginum* sic expresse dicit: « Opus Dei est quod nascitur, Diaboli quod mutatur. » Et in libro *de habitu Virginum* incipiente *Disciplina Custos*, post med. sic ait: « Non virgines tantum, aut Viduas, sed et nuptas puo, et omnes omnino feminas admonendas, quod opus Dei, et facturam ejus, et plasma adulterare nullo modo debeant adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine. » Et postea subdit: « Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt, impugnationis pœna operis prævaricatio est veritatis; Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quod Diabolus infecit (2). » *De inimico tuo compta cum illo pariter arsura.*

(16. Si autem Femina se ornet, et fucet ex quadam levitate, vel etiam quadam vanitate propter instantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale; S. Thomas 2. 2. qu. 169. art. 2. in corpor. Fagnan. loc. cit. numer. 69. et alii passim. (17. Immo si Femina se ornet, et fucet, servata recta intentione, consuetudine patriæ, et conditione status, non est peccatum. Sic S. Thomas 2. 2. quæst. 169. art. 1.

(1) Peccat mulier, si non absteat ab ornatu nimis turpi, etiamsi non prævideat aliquem probabiliter lapsurum; cum enim prohibitus ei sit turpis ornatus, qui ad peccandum homines provocet, palam est graviter eo utentem peccare, etsi non prævideat aliquem lapsurum. In verbo illo nimis prævideat tasset insidiæ, et deceptiones lascivæque mulieres nunquam nimis turpem credent turpem ornatum. Legantur Auctores citati a Benedicto XIV. de Synodo Diœces. lib. 41, c. 12. (NOT. ROM. THEOL.)

in corpor. et in c. 3. 1. *Epist. ad Timoth.* lecti. 2. sub fin. Alexander Alens. in *Summ. Theolog.* p. 2. qu. 134. membro 1. ubi sic præcise dicit: « Licet secundum nobilitatem personæ, secundum consuetudinem Terræ, secundum Dignitatem Officii ornare se vestibus pretiosis, ita tamen quod absit libido in voluntate, et scandalum in exteriori opere. » (18. Unde S. Thomas in cit. q. 169. art. 2. ad 2. subjicit, quod non est vetitum feminis faciei vitia occultare, quod probat his verbis auctoritatem Apostoli adhibens: « Aliud est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta ægritudine, vel aliqua hujusmodi, hoc enim licitum est. Quia secundum Apostolum I. ad Corinth. XII: *Quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorum circumdamus.* » Quo fit, ut forte non peccaverit quidam ex Proceribus, qui cum morbo gallico tabesceret, ostro pingebat pallentes genas, de quo Urbanus VIII. festive fertur dixisse: « Foris minio pictus Ibero, intus autem Gallico. » (19. Et sic etiam licitum est feminae se ornare sine pictura, ut viro suo magis placeat, vel ut futuri mariti præ aliis mulieribus licitam benevolentiam caplet; S. Thomas in cap. 3. *Isaie* in fin. ubi sic expresse dicit: « Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur, non peccat; » Pontas verb. *Ornatus muliebris* cas. 2. et alii.

(20. Femina denudans collum, vel pectus ex intentione mala, et maxime illum morem inducens, peccat mortaliter (3); Elizalde in *Regul. morum* lib. 8. q. 13. § 9. Pignatell. tom. 3. consult. 35. a num. 27. usque ad fin. La Croix lib. 3. n. 248. cum plurimis ibi citatis. Unde Ursaya *Instit. crimin.* lib. tit. 5. n. 50. notat sub excommunicationis pœna prohiberi posse ab Episcopis, ne mulieres incedant discoopertæ brachiis, vel pectore nudatæ, quia sunt incitamenta ad libidinem, et peccata, ut re mature perpensa in Urbe mandavit San. mem. Innocent. XI. cujus Edictum referunt, et exornant P. Maracci in *libercul. cui titulus: Rimedio per curare la vanità femine*; Franc. de *Re moral.* consult. 37. Raynald. tom. 3. cap. 27. § 3. num. 1. Quamobrem S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. *Pædagog.* cap. 3. sic expresse scribit: « Nullo modo permittendum est mulieribus, ut appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur, hi quidem, ut qui ad videndum incitentur, illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attra-

(2) Vide S. Cypriani opus citat. edit. Venet. 1728, col. 558, seq. Nam Auctor integrum ejus testimonium non proferit, sed multa omittit, et aliqua paulo aliter affert. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Etiam, seclusa intentione mala, graviter peccat mulier illa. Nam denudatio illicita est, non solum ob pravam mulieris intentionem, sed etiam quia de se mala est, inducens homines ad peccatum. (ROMANI THEOLOGI NOTA.)

hant; Semper autem tamquam præsentem Domino honeste versandum est, ne nobis quoque sicut Corinthiis succensens dicat Apostolus: *Convenientibus vobis non licet Dominicam cenam manducare;* » et S. Hieronymus *Epist.* 8. ad *Demetriadem* de publicis pedissequis illam informans, sic ait: « Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum non pectus, et colla denudat, nec pallio revoluta cervicem aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. »

(21. Femina sciens se turpiter amari ab aliquo particulari, quoties eum aspicit, vel ab eo aspicitur, peccat graviter, si data opera ei se conspiciendam offert; Layman lib. 2. tract. 3. cap. 13. Sanchez, Bonacina, Diana, et alii passim cum Busembaum, et la Croix lib. 2. dub. 5. art. 2. numer. 243. Sporer tom. 2. tract. 5. in quinto præcepto *Decalogi* cap. 1. sect. 2. num. 35. (22. Hinc peccat Femina pergens ad hoc templum, ad hoc sacrum, in quo est aliquis particularis, a quo turpiter amatur, quando commode potest aliud templum adire eo periculo vacans. (23. Item quando it per hunc vicum potens commode ire per alium. Item quando domo egreditur sciens eum expectare spectandam, sic cum aliis Sporer loc. cit. numer. 36. Immo volunt multi absolute cum Busembaum loc. cit. et probabilius cum La Croix, loc. cit. num. 244. Feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse, et debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die Festo, semel, atque iterum, ad peccatum illud evitandum. (24. Alii tamen cum Castropalao tract. 6. disp. 6. part. 16. Diana part. 5. t. 7. resolut. 21. et 22. et Pasqualig. *de Sacrificio*, qu. 1347. universaliter sustinent quod, ob vitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta; Unde Tamburin. in *Decalog.* l. 4. c. 2. § 2. n. 8. docet, quod Femina sciens se ardentem amari ab aliquo particulari, qui erit in templo, possit quidem die Festo abesse a Missa propter caritatem, non tamen teneatur, quia hoc est scandalum non datum; sed acceptum, quod omnino non tenetur vitare cum tanto detrimento omissionis Missæ die Festo; sic docet etiam Illsung. tract. 3. num. 141. dicens, ne quidem semel teneri omittere. (25. Concedunt tamen Castropal. Diana, et alii apud ipsos loc. cit. omitti debere, vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantum consilii.

(26. Femina in publicum prodiens, quamvis sciat se ab aliquo in particulari turpiter

(1) Volunt multi absolute cum Busembaum (inquit Auctor num. 25.) Feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse et debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die festo; num. vero 26, vult, feminam iisdem in circumstantiis constitutam peccare tantum venialiter, si, ne se privet sua libertate, domo exeat, per fenestram aspicat, ad januam domus suæ stet, vel assideat. Harum autem fere contradictoriarum

amari, si hoc faciat ex necessitate, nullimode peccat, et saltem non mortaliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet sua libertate, vel jure exeundi domo, aut standi ad ostium domus, vel fenestram; Sanchez, Cajetan, Bonacina, Dianapart. 2. tom. 15. resolut. 20. Sporer loc. cit. n. 35. qui num. 37. subjungit consentire omnes, Feminam ob illam causam non teneri ad longum tempus abstinere a publico, vel actionibus de se indifferentibus, v. g. ad longum tempus non aspiciere per fenestram, non ad januam domus suæ stare, vel assidere; sed solum semel, et iterum; donec alter advertere possit se fugi ab illa. Quod si enim alterius turpis amor diutius duret, non erit amplius ex infirmitate, et scandalo pusilli, sed potius ea occasio erit ex propria amantis malitia, et non ex Femina, quæ libertate sua jure utitur: unde deinceps non est de his curandum (1).

(27. Femina permittens tactum sui impudicum ex objecto, vel osculum turpe, ac venereum in secreto, peccat mortaliter si non impediatur, quando commode potest, quia concurrunt ad actum intrinsece, et mortaliter malum; Sporer loc. cit. num. 41. La Croix loc. cit. num. 249. et alii communiter. (28. Si vero tactus sint ex objecto honesti, ut oscula in facie, tactus genarum, compressio manuum, et sola tangentis prava intentione libidinosi sint, id advertente Femina, distinguendum est: vel fiunt in publico, ut in Choreis, in convivio, etc., ubi juxta morem regionis non possunt repellere, nisi ingerendo animis adstantium suspicionem peccati, et infamando alterum, et tunc Femina non peccat permittendo similes tactus, quia in re per se non mala adest excusatio sufficiens, ne scilicet ratione moris, et consuetudinis regionis in suspicionem malitiæ apud spectantes veniat tangens repulsus, alias bonæ famæ; (29. Aut tactus fiunt in secreto, seu etiam in publico, et sine suspicionem illa, et periculo infamiæ, repellere possunt: tunc Femina peccat graviter permittendo similes tactus, oscula, et amplexus, si moraliter certo advertat malitiam, et libidinosum affectum tangentis, osculantis, vel amplectentis; Sporer loc. cit. num. 41. Azorius, alique cum Bonacina *de Matrim.* q. 5. p. 9. num. 10. (30. Si autem dubitet, an similes tactus, oscula, et amplexus ab altero fiant malo animo, Filliucius, et Tamburin. in *Decalog.* lib. 5. cap. 1. § 4. num. 25. La Croix loc. cit. n. 249. Sporer loc. cit. num. 41. et alii, negant teneri impedire, quia in dubio nemo præsumendus est malus; Bonacina tamen probabilius affirmat, quia vix abest culpa, et Femina utitur jure suo, consulitque salutem proximi (2). (31. Femina acceptans mu-

opinionum quamam sit amplectenda, prudens judicet lector. (ROMANI THEOLOGI NOTA.)

(2) Si mulier dubitet actus illos malo fieri animo, impedire, et prohibere illos tenetur: aliquo proximi saluti non consuleret, et semetipsam quoque periculo exponeret peccandi, cum sine commotione, ac delectationis periculo vix amplexus, et oscula illa contingant. (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

nera ab amasio, quando ei moraliter certo constat de ejus libidinoso intentione quamvis ipsa non consentiat ejus pravæ intentioni, regulariter peccat mortaliter, quia sic fovet impurum ejus amorem, ac desiderium, et spem copulæ aliquando obtinendæ. (32. Nec refert, quod Femina dicat se nolle consentire ejus pravæ intentioni, quamvis munera acceptet, nam re ipsa acceptando ad hæc relinquit spem in amasio, quod vi munerum possit tandem facilius eam expugnare; Sporer tom. 2. tract. 5. in septim. et decim. præcept. Decalogi cap. 3. n. 141. La Croix loc. cit. num. 264. et alii. (33. Si autem semel tantum, ac iterum accipiat ab amasio munera, nec certo constat ei de libidinoso intentione, ac affectione donantis, tunc non peccat sic accipiendo; Sporer loc. cit. num. 141. et alii. (34. Femina ob munera sibi liberaliter donata ab amasio, quamvis illicite accepta ob ejus notam libidinosam intentionem, non tenetur ad ullam restitutionem, sed licite retinere potest; et ratio est, quia Femina accipiendo non peccavit contra justitiam; impurus enim amasius liberaliter ea donavit sciens Feminam non accepturam cum pacto copulæ, ut supponitur, quamvis ipse eam speraverit. Unde si sua spe frustratus amasius munera prodegit, sibi imputet, et suæ libidinosæ credulitati; Molina tom. 1. disp. 95. Lugo disp. 18. num. 49. et cum aliis Sporer loc. cit. num. 41 (1).

(35. Feminæ sexus in quo sensu dicatur *Devotus* notat Maer. in *Hierolexic.* verb. *Antiphona* in fin. ibi: « Est etiam alia difficultas in illa B. M. Virginis Antiphona, quæ inter consuetas Officii commemorationes habetur super verba: *Intercede pro devoto femineo sexu*, ac si sexus alius devotus non esset. » Respondetur tamen hoc nomen *Devotus* hic non significare piam ac teneri cordis erga Deum personam, sed quæ Deo se devovit, ut sunt Moniales, et similes; quæ Antiphona desumpta est ex D. Augustino, in *Serm. 21. de Annunc.* cujus mens fuerat distinguere Clerum, et Moniales a populo juxta Ecclesiæ universalis consuetudinem in Feria sexta Parasceves, ubi de iisdem habentur distinctæ orationes. In hoc etiam sensu D. Agatha dixerat: « Soror mea Lucia Virgo Deo devota, » quia voto perpetuæ Virginitatis se Deo dedicaverat. Ita pariter in Concil. Tolet. canon. 16. habetur devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam. Sic apud Ursayam in *Miscellaneo secundo Sacro, et Profano, Canonico et Civili*, verb. *Femineus sexus*.

(36. Femina quædam viginti duos successive habuit maritos, et deinde nupsit viro, qui viginti sepelierat uxores: qui postmodum vincens superstes remansit; et Populus Romanus coegit eundem virum abstinere a lugubri funere, et lauro coronatum, Palma in manibus tenta, tamquam victorem uxoris

(1) Rogarem hic Auctorem, num credat mulierem peccare, quæ impurum in amasio fovet amorem? Si ita opinetur, ut opinari revera censeo, rursum rogo, num acceptatio donorum amorem illum fo-

cadaver ad tumulum associare jussit. Sic Vincent. de Justis de *Dispensat.* lib. 2. cap. 9. num. 6. Majolus de *Irregularitatibus* lib. 1. cap. 33. Corrad. in *Praxi dispen.* lib. 7. cap. 2. n. 81. et alii apud ipsos.

(37. Expenditur dictum Ecclesiastici cap. XLII, ibi: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*: id est, melior est pro bono tuo spirituali, quatenus magis tibi proderit, minoris periculi erit, minusque tibi nocebit vir iniquus, qui sua iniquitate, et malitia injuste te vexet, ac bonis temporalibus spoliat, quam Mulier blanda, et benefaciens, quæ suis blanditiis, et beneficentiis ad ejus concupiscentiam te adducat, bonisque omnibus spiritualibus te denudet: vir enim iniquus ac malignus te injuste vexando tuam exercebit potentiam, quæ necessaria est, ut æternæ reportentur promissiones, sicut docet Apostolus ad *Hebræos* cap. x. n. 36. ibi: *Patientia enim vobis necessaria est, ut reportetis promissiones*; et *Luc.* cap. XXI, num. 19. ibi: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; mulier vero benefica munusculis, et blanditiis labiorum suorum venenum libidinis, et ignem lascivie usque ad perditionem devorantem in te succendet, ac in laqueum æternæ captivitatis te protrahet juxta illud *Proverbiorum* cap. VII, a num. 21. ad 23. ibi: *Irrevitit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lascivians, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Unde *Ecclesiastici* cit. cap. XLII, antequam. num. 14. dicatur: *Melior est enim iniquitas viri, quam*, etc. numero immediate antecedenti dicitur: *In medio mulierum nolite commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Sic Sacri Expositores passim in prælaudat. c. XLII. num. 14. *Ecclesiastici*.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. « Feminae (ait Ulpianus in l. 2. ff. de *Regular. jur.*) ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt, et ideo nec Judices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. » Varii Auctores varie celebrem hanc de Feminis Regulam juris sunt interpretati. Unus autem Jacobus Gothofredus meo judicio verum ejus sensum est assequutus.

(39. Publica, et civilia officia non sunt hic pro eisdem accipienda, ut accipiunt Cujacius, et Petrus Faber, sed observante Jacobo Gothofredo distinguenda sunt publica officia ab officiis civilibus, ita quidem, ut publica civilia quoque sint, non retro omnia civilia publica. Et in hunc modum particula posita

veat? Num prudenter suspicari possit ab hujusmodi amore prava oriri posse desideria? Ita sane. Ergo acceptando dona nequit ea mulier esse immunis a culpa. (Nota Rom. Theol.)

est inter genus et speciem, quod non est novum.

(40. Publica autem officia, ut monet idem Jacobus Gothofredus, non dicuntur hic ratione finis, vel loci, verum ratione auctoritatis, quæ scilicet cum publica executione auctoritate, cujusmodi duo tantum exempla hæc Regula commemorantur, Judicem esse (pedaneum scilicet, seu causæ disceptatorem) et Magistratum gerere cum jurisdictione, et imperio, a quibus obeundis Feminæ prohibentur. Civilia vero sunt ea quodævis ministeria, seu actus, qui partim in Civitate vel Judiciorum conspectu in Comitibus exercentur, partim privatim in cœtus alicujus Virorum ore, seu conspectu, modumque excedunt domesticæ curæ, cujusmodi tria exempla hic commemorantur, *Postulare*, id est *Advocare, pro alio intervenire, et pro-*

#### FENESTRÆ.

##### SUMMARIUM.

1. Nemo potest in muro alieno sine servitute fenestram construere, et aperire. — 2. Hoc præcipue locum habet in Ecclesia propter reverentiam illi debitam. — 3. Unde S. Pius V. mandavit claudi omnes fenestras vicinorum, ex quibus haberi poterat prospectus in Ecclesias. — 4. Pro cujus S. Pontificis oraculi punctuali executione Sac. Congr. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas quæ de facto apertæ sunt. — 5. Sic etiam respondit novissime in Leodiensi 7. Aug. 1705. et in Ulixiponen. 5. Mart. 1710. Et Sac. Congr. Visitationis Apostolicæ in Romana, Fenestræ 25. Januar. 1717. — 6. Affertur singulare Decret. Sac. Cong. Episcop. in Avellina indulti 5. Julii 1719. — 7. Non sunt permittendæ fenestræ respicientes in Monasteria Monialium. — 8. Ne quidem a fenestris Campanilis Ecclesiæ vicinæ potest haberi prospectus in Monasteria Monialium, sed pleno muro tales fenestræ debent obstrui. — 9. Debent obstrui etiam fenestræ illæ, quæ sunt in Monasterio Monialium, per quas videre possunt, et videri. — 10. Nec debet permitti alicui ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus

(1. Nemo potest in muro alieno sine servitute, fenestram construere, et aperire. l. *Altius*, Cod. de *Servitut.* ibi: « In pariete vero tuo si fenestram Julianus vi, vel clam fecisse convincatur, sumptibus suis opus tollere, et integrum parietem restituere compellitur. » (2. Hoc præcipue locum habet in Ecclesia propter honestatem, et reverentiam illi debitam Clement. 1. de *Sentent. excomm.* ibi: « Aut in eis factis fenestris, » ibidemque Butrius in fine, ubi quod temerarie agunt, qui construunt hujusmodi fenestras, et in illis audiunt divina; Sabell. in *select. Canon.* cap. 3. num. 119. Barbosa lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 11. num. 28. Pignateil. tom. 4. consult. 129. num. 1. (3. Unde S. Pius V. anno 1566. mandavit claudi omnes fenestras vicinorum, ex quibus haberi poterat prospectus in Ecclesias, ut refert Tusc. de *Visitat.* lib. 1. cap. 11. num. 10. in cujus sequelam Decret. suum edidit Card. Sabellius ejus Vicarius præcipiens omnibus has fenestras habentibus, quod deberant illas claudere, relatum a Quaranta in *summ. Bullar.* verb. *Reverentia Divinorum.* (4.

*curatorem existere*, a quibus quoque obeundis prohibentur Feminæ.

(41. Male autem Græci Interpretes, ut et Glossa, Cujacius, et alii, *interventionem pro alio*, hic de *Fidejussoria intercessione* accipiunt. Interveniendi voce, ut post Petrum Fabrum probat Jacobus Gothofredus, non fidejussoria intercessio intelligi debet, verum judicialis quædam opera, et civile officium. cognitioræ et procuratoris simile.

(42. Ratio vero hujus prohibitionis, sive Regulæ circa Feminas non fuit Muliebris sexus levitas, non item infirmitas, et conditio fragilitatis, nec periculum rei familiaris; verum remotæ fuere Feminæ ab officiis publicis, et civilibus ob honestatem sexus, ob verecundiam, et stolæ matronalis decus. Consule toties laudatum Jacobum Gothofredum hic.

in Monasterium. — 11. Immo sunt demoliendæ mansiones constructæ in viculo intermedio, et claudendum est ambulacrum, quod a tecto imminet Monasterio, eique prædominat, non obstante qualibet appellatione, vel recurso. — 12. Fenestræ, et quævis alia foramina Regularium spectantia in hortum, vel Clausuram Monialium, omnino claudenda sunt. — 13. Fenestræ Monialium tam altæ debent esse, ut ad lumen tantummodo serviant. — 14. Et quando aliunde nequeant lumen habere, fenestræ quæ respiciunt in publicas vias, debent tubis muniri, et ita aptari, ut per ipsas nequeant Moniales videre, nec alloqui cum transeuntibus. — 15. Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem, et correspondentiam fenestrarum, Moniales possint videre vicinos, vel videri. — 16. Fenestræ Communionis inservire non debent pro Colloquutoris Monialium. — 17. Fenestræ Regularium quomodo, et quando claudi debent, quando habent prospectum in vicinâ Aedem sæcularium? *Remissive.* — 18. Fenestrarum aperiendi quando locus sit in Monasteriis Monialium? *Remissive.* — 19. Prohibetur Monialibus sub gravibus pœnis usus telescopii, sive conspicii tubati longioris. — 20. Quomodo intelligenda prohibitio non habendi fenestras, ex quibus pateat aspectus in Monasteria Monialium.

Pro cujus S. Pontificis Oraculi punctuali executione Sac. Congregation. Episcop. semper respondere solet, vel denegando facultatem fenestras aperiendi, vel mandando claudi illas, quæ de facto apertæ fuerunt. Cujus Sac. Congreg. multa Decreta referunt, et sequuntur Pignatell. tom. 4. consult. 129. a num. 3. ad 9. Nicol. in *Floscul.* verb. *Fenestra*, num. 1. Pacichel. de *Distantiis*, cap. 6. membr. 4. num. 28. Barbosa, lib. 1. *Jur. Eccles. univers.* cap. 11. numer. 28. Card. de Luca, de *Servitut.* disc. 17. num. 2. Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 8. num. 14. Ursaya, tom. 4. part. 2. discept. 13. a num. 40. et signanter in Nullius, 11. Septembr. 1613. et in alia Nullius, 5. Mart. 1619. in Casertana, 8. Junii 1646. in Cosentina, 13. Decemb. 1646. in Calven. 26. Septembr. 1652. in Veronen. 14. Junii 1653. in Alexanen. 14. Novemb. 1659. in Pisaurien. 3. Octobris 1692. (5. Quem sane rigorem non sine bonorum laude nostris temporibus inexorabiliter ad praxim reduxit tam in Leodien. 7. Aug. 1705. quando (effectu punctualiter subsecuto) injunxit Nuncio Coloniensi clausuram fenestræ aper-